



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. XXIII [i. e. XXI]. De extinctione dominij per solutiones, & de literis harum moratorijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

n. 48. Extra Italiam nullibi præsertim quoad locationes Zipæus *Analysis Juris Pontificij ad Rubricam de rebus Ecclesie alienandis*: quoad easdem, & privationem beneficiorum, & absolute ex toto nullibi; & licet quoad principalem, & intrinsecam dispositionem nullitatis in multis, in paucis tamen locis quoad extrinsecas videlicet excommunicationis, suspensionis &c. pœnas receptam esse asserit Navarrus de censuris Ecclesiasticis *Cap. 27. Excommunicatione vigesima quinta n. 150.*

Ob hæc Gutirez vult consulendum esse locorum consuetudinem; hanc præcipue spectans Henricus Wagneregg in *Extravagante citata V. inconsulto pu-*

tat validas in multis locis videri alienationes sine consensu Papæ factas præsertim à Principibus Germanis non solitis saltem in alienationibus non magni præjudicij recurrere Romam. Ludovic. Engl. *ad hanc Rubricam n. 15.* dicit, in Germania & alijs ab Italia Remotis Provincijs ex consuetudine alicubi Prælatos non Exemptos pro alienandi licentia non ad Papam, sed ad suos Episcopos recurrere & eam Causâ cognitâ ab istis in Belgio, teste Zippæo concedi, Abbates verò Exempti jurisdictionem quasi Episcopalem in Monasterijs suis exercentes in alienandis minoris æstimationis prædijs alterius superioris consensum non requirunt Cit. Engl. n. 24.



§. XXI.

De extinctione Domini per solutiones, & de litteris harum Moratorijs.

267. **S**olutio strictè talis est numeratio realis pecuniæ debitæ *L. solutionem ff. de solutionibus.*

Quæres primò an debitores Urbis ab injusto hoste occupatæ liberentur à censibus debitis legitimis creditoribus inde fugitivis? aut à tributis Principi solvendis, si hæc tributa, & illos census cogantur persolvere hosti danti de persolutis quietantiam, & si cogantur cives ad emenda bona absentium confiscata à Tyrano debeantne veris Dominis postea redeuntibus restitui sine refusione pretij?

Respondeo ad primum primò debitores spoliatos in tali eventu omnibus suis non liberari à solutione debitorum, nisi hæc extiterint in deposito, depositum enim, cum non sit in Dominio depositarij, sed depositoris, huic perit, dum conservari non potest à depositario sine gravi suo incommodo, è contra hic rerum suarum est Dominus, ergo huic illæ ablatae pereunt non creditoribus, his proinde remanet totum jus exigendi debitum pinguiore tempore *Wadingus de contract. Disput. 8. dub. 2. §. 1.*

Re-

Respondeo secundo ad primum probabilius tam debitores tributum Principi debitum, quam mutuatorios obligatos mutuatoribus solvere mutuum coactos à milite hoste, aut Tyranno ad id sibi persolvendum deobligari postea legitimo Principi, aut creditoribus refarcire cit. Waddingus ex Panor. lib. 1. Consl. 60. quia est quædam species solutionis, siquidem miles Autoritate ducis exigens, aut Tyrannus licet non sit verus Dominus, est tamen fectus, foretque nimis durum coactè solventes rursus cogere ad solutionem, nisi debitores fuerint in solutionis faciendæ ante hostis adventum, quia periculum post moram commissam ad debitorem pertinet L. 5. §. de rebus creditor. & L. 92. ff. de Verb. obligatione. Dixi miles autoritate ducis exigens; quia de milite prædante, cui Dux belli non cessit jus aliter sentiendum ut mox patebit.

Dices: ergo in expugnatione Urbis armatâ manu si miles inter spolia reperit Chyrographum debitoris alicujus, & vigore hujus exigit ab hoc solutionem, eamque recipit, debitor deobligatur solvere creditori vero, si huic debitor exhibeat Chyrographum. Resp. Primò illatum procedere, si debitorem Tyrannus cogit intuitu veri creditoris exsolvere militi. Ita Joachimus Bürgers observationum juridico - Politicarum Cent. 1. observ. 26. in fin.

Respondeo secundo etiam verum esse, si creditor captus pro sui liberatione, aut ad vexam redimendum dederit militi Chyrographum, cit. Bürgers.

Respondeo tertio quod sic si similes probet se esse cessionarium Chyrographi, vel delegatum Principalis, probare autem

debet non solius Chyrographi debitoris exhibitione, sed etiam Instrumenti cessionem, aut de titulo doceat. Bortholus in L. per diversos Codices mandati, Bürgers. Vers. Ad 2. Argumentũ & Vers. fin.

Respondeo quarto negativè extra hos casus, cum cit. Bürgers Vers. Nihil itaque de privato milite, de Principe vero Victore affirmative; quia hic occupando locum succedit jure in universa devictorum bona, secus miles privatus, hic enim nullius rei jus acquirit, quam quod manu capit, aufert & in custodiam deportat L. 5. ff. de acquirendo rerum Dominio, jusque confiscandi non ad privatos, sed ad Principes Victores spectat ergo miles occupando Chyrographum nullum jus acquirit in debitum, nec Instrumentum ullum adjuvat in eo non expressum, L. 21. Cod. de probationibus, nec jus in tabulis versatur, sed ex ijs probatio petitur, nec debitor præsumitur liberatus, quod habet penes se Instrumentum, nisi probet illud sibi per creditorem redditum, Mascardus Volum. 1. de probationibus Conclus. 477. nec facit plenam probationem solutionis, sed præsumptionem L. 4. & L. indultum ff. de solutionibus, & ut Doctores ajunt restitutio Chyrographi non liberat debitorem ipso jure, sed ope exceptionis, Gaillius L. 2. observat 37. quapropter admittit præsumptiones contrarias & probationes. Responsio tota est cit. Bürgers juncto vers. Ad 1. & vers. fin.

Responsum hoc quartum citatus Bürgers in fine ampliat etiam ad debita passiva, ut si miles debitor expugnato loco extorqueat ex creditore obligatorias debiti sui, vel liberationem, quo casu contra militem potest intentare actionem, quod me-

tus causa. Ratio ampliacionis est eadem, quæ data est in Responso quarto.

Respondeo ad secundum quæstionis primæ, si agatur de confiscatis mobilibus constat ex n. 242. emi posse, at de immobilibus emendis ab hoste injusto videtur emi non posse, quia, cum ab hoste, nequeant transferri aliò, Emptio, eorum est inexcusabilis, proinde verus Dominus non tenetur postea pretium refundere, sicut tenetur, dum extat res Empta mobilis, & hanc vult rehabere, quod etiam dicendum de immobilibus venditis, quando Princeps Victor justum gerit bellum: tunc enim est justa etiam horum bonorum confiscatio auctoritate Principis, quia hic est tunc Judex horum potens eorum injuriam punire.

Limita hoc postremum dictum, dummodo non sint bona innocentium exceptorum, uti excipiuntur ab Innocentio III. *Cap. innovamus extra de treugna, & pace bona Ecclesiæ & innocentium Ecclesiasticorum* (nisi hi simul cum laicis bellent, & hostibus faveant, aut Ecclesia sit incastellata id est more castri unita contra *Capitulum SS. Patrum caus. 30. q. 1.*) quia non sunt pars politicæ Reipublicæ (prout sunt innocentes Laici, consequenter cum in bello justo Victor justè spoliaret bonis Provinciam victam, etiam justè spoliarentur membra ejus pollitica, etsi innocentia, Molin. *Disput. 121.*) Unde quando Dux militi permittit urbis expugnatae deprædationem, cavere debet, ne res Ecclesiasticorum, Advenarum, seu peregrinorum hospitem diripiantur, quia non sunt Reipublicæ membra Anton. Th. *schiera tom 2. Theolog. bellica Lib. 8. difficultate 3. n. 16.* Subdens à n. 21. literas represalias à Principe suis civibus

concessas ad spoliandum cives quosvis alterius Principis pro compensatione rerum ab ejus Republica ablatatum non extendi ad personas Ecclesiasticas c. *unic. de injurijs in 6.*

267. Quæritur secundo an Reus criminis læsæ Majestatis Divinæ, ut hæreticus, aut humanæ, ut perduellis in Rempublicam aut Principem non recognoscentem se majorem à die commissi criminis validè solvat suos creditores, & vicissim validè solvatur à suis debitoribus. Olim confiscabantur bona criminosi propter omne Capitale crimen, *L. 3 ff. ad L. Cornel. de sicarijs*, at nunc jure novo seu Codicis in *Authentica bona damnatorum Cod. de bonis proscriptorum* statuitur bonorum publicatio ob solum crimen læsæ Majestatis.

Controversia in eo est, an ante sententiam criminis declaratoriam Reus amittat Dominium omnium suorum bonorum à die commissi criminis, vel post declarationem? affirmativa est communior inter Jurisconsultos volentes amitti etiam administrationem bonorum ac ad retineri nudam possessionem; negant autem communiter Theologi, quod Reus à die delicti validè alienet bona non tamen irrevocabiliter.

Probabilius sentiunt Theologi ob clarum textum *L. quæsitum est ff. qui & à quibus*, ubi expressum est reos læsæ Majestatis manere bonorum Dominos ante sententiam declaratoriam criminis, eontra nullus textus clare decernit oppositum, Ita Wadingus *Disput. 8. dub. 2. §. 3.* His præmissis.

Respondeo primò Reum talem validè solvere suos creditores Wadingus §. 2. ex Bartholo, quia fiscus ipse deberet ea debi-

debita solvere, cum ad eum transeant bona cum onere suo.

Respondeo secundò, etsi, ut dictum, maneat Dominus usque ad criminis declarationem, debitores tamen ei jure solvere non posse, quia solutiones has contra Regulam communis juris *L. 41. ff. de solution.* Specialiter irritat Antoninus *L. fin. Cod. ad L. Juliam Majestatis.* Wadingus §. 5. dans disparitatem cur contractus initi cum Reo læsæ Majestatis sint validi revocabiliter, solutiones verò eidem factæ sint nullæ: quod solutio sit extinctio obligationis solvendi, extinctio autem sit perpetua: è contra in alijs contractibus non destruitur obligatio, sed oritur ex contractu valido, cujus valor potest ope legis, aut Judicis rescindi. Ex eodem Wadingo §. 3. & 4. addo sequentia. Primò talem Reum ante declarationem criminis retinere bonorum Dominium, proinde licitè, ac validè bona alienare per contractus v. g. vendendo, Emptores validè, ac sine peccato emere; ipsæque pretium pro bonis datum formaliter, aut æquivalenter extrans à fisco rescindente contractus esse refundendum. Si nec æquivalenter extet, etsi plerique negent esse refundendum, ipse tamen post Vasq. de Legib. *D. 172.* censet refundendum esse à fisco, sicut enim iste debet ex confiscatis solvere alios creditores, ita Emptores, nisi, presumatur collusio, & fides mala.

268. Quæres tertid an solvens pupillo sine Authoritate tutoris liberetur à solutione?

Quartid an unum pro alio invito creditore solutum (ut si debeas centum medias tritici, solvas in vino, pecunia &c.) liberet debitorem?

Quintid an tempus solutioni præfixum possit anticipari. Respondeo ad tertium negative ex §. *ut ex contrario. Instit. quibus alienare licet*, si tamen extet pecunia debitori est reddenda, sin verò consumpta, quin pupillus sit factus ditior, debitor integrè de novo solvat tutori pupilli, aut Curatori minoris: sic enim liberatur, licet solvat sine interposita judicis anthoritate Wadingus §. 6. ex *L. quod si forte ff. de solut.*

Respondeo ad quartum Negative ex certa, & ab omnibus recepta regula in *L. 2. ff. de rebus creditis. unum*, inquit, *pro alio invito creditore solvi non potest*, sensus est, quod nec debitor invito creditore possit dare unum pro altero creditori, nec hic ab illo unum pro alio exigere. Hinc diximus de jure Emphyteutico Dominum non posse pro servitijs exigere pecuniam Wadingus *Disp. 8. dub. 3. §. 1.* nisi debitorem excuset necessitas per *authent. de fide jussoribus & mandatoribus §. quod autem.* in qua conceditur debitori, ut det æstimationem, si facilè non possit reperire speciem, verum Wadingus negat tantam libertatem debitori, sed requirit, ut sit moralis impossibilitas habendi E. g. frumentum, aut vinum, aut pecuniam, de qua est conventum, aut non sine magno debitoris damno. Unde plures limitationes apud eundem *n. 2.*

Respondeo ad quintum vel tempus est præfixum in favorem creditoris, ne patiatur damnum, vel in favorem debitoris, ut sit plerumque; si primum creditor non tenetur accipere solutionem, si secundum, debitor potest favori renunciare, ac creditori offerre solutionem, hic autem tenetur acceptare *L. eum qui ca-*

lendis §. *inter certum ff. de verb. obligat* idque procedit etsi in favorem creditoris, minus tamen principaliter tempus sit præfixum, sic hæredes defuncti mariti mobilia dotalia non tenentur reddere ante evolutum annum, ac interea debent Viduam alere, licet jus faveat Viduæ, quia tamen principaliter favet hæredibus, hi intra annum possunt reddere mobilia, ac liberare se ab alenda Vidua, Wading. §. 2. n. 3.

269. Quæres sextò an solutio faciendâ sit secundum valorem rei, quem habet tempore solutionis, aut tempore contractus? valor rerum est intrinsecus aut extrinsecus. Intrinsecus desumitur à bonitate intrinseca, aut in pecunia ex puritate auri vel argenti ob modicam admixturam E. g. æris; in vino, & frumento, ut si hoc sit purum, vinum verò excoctum. Extrinsecus valor desumitur, quando materia immutata augetur in pretio.

Quæstio modo est: dedi tibi mutuos centum aureos post annum reddendos: singuli tempore mutui valebant florenos 3, at valor eorum extrinsecus tempore solutionis crevit floreno uno, proinde nunc conficiunt florenos 400., aut decrevit floreno uno, consequenter valent solum 200. florenos, debeone nunc numerare 100. in specie aureos, licet valor extrinsecus creverit, vel si decrevit, an satisfacio dando centum? dedi tibi mutuo centum imperiales puri argenti, nunc ob publicam necessitatem sunt adulterati, & vitiiati E. g. ex argento unius probæ monetæ fiunt duo, an mihi satisfiat restituendo centum modernæ monetæ, vel sunt restituendi centum probæ? mutuavi tibi dolium vini boni æstimati 50, flore-

nis, crevit pretium in duplum tempore restitutionis, debesne mihi reddere dolium integrum non obstante extrinseco accremento? de qua quæstione vide fufescribentes Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. Wadingum Disput. 8. dub. 4. Dicast. hic Lib. 2. tract. 10. Disput. 2. Lugo Disput. 25. à n. 112.*

Incipiamus à rebus mutuatis à nummis distinctis: non enim est par de utriusque ratio: quia secundum Wadingum in vino, frumento, & similibus in eorum solutione attenditur solum ad valorem intrinsecum, proinde accipiens mutuo 20. dolia vini, debet totidem ejusdem bonitatis reddere, quin attendatur, an pluris aut minoris valeat vinum *L. cum quod ff. si certum petatur.* In pecunia supposita hujus bonitate spectatur extrinsecus valor.

Verum ut clarius procedamus, prius quæ certa sunt præmittamus, eaque ab incertis separemus cum cit. Lugo.

Certum igitur est primò, mutuante 10. mensuras tritici pacisci posse de reddendis totidem tritici æque boni, dum æque dubium est accrementum, & decrementum pretij, quia æqualiter utrique favet.

Certum secundò si mutuans prævideat majus fore tritici pretium, & id servasset in illud tempus, potest pacisci ut restituatur eo tempore in pari mensura, & bonitate, secus si non servaret.

Certum est tertio, dum mutuans prævidet, quod decrescet pretium mensuræ uno v. g. floreno, potest à mutuante exigere restitutionem mensuræ duplicatæ, quia potest nunc triticum vendere duobus ut supponimus florenis sibi solvendis tempore decrementi, ergo potest etiam exigere

exigere loco hujus pretium mensuram duplicatam.

Certum quartò, quando triticum vetus tantum valet, quantum valebit novum, etsi hoc facilius postea conservabitur, mutuans licitè paciscitur, ut loco veteris mutuati det novum dicta commoditas cum careat injuria, non est usuraria.

Difficultas restat duplex. Prima an fas sit pacisci de reddenda eadem mensura & bonitate, quando prævídetur augmentum pretij? Secunda quando tempore mutui non est conventum de eadem mensura, nec de hujus valore, ad quid mutuarius obligetur?

Ad primùm affirmat Sotus quia in mutuo spectatur proportio, seu æqualitas corporum non pretiorum: Consentit Molin. *Disp. 311.* si solutioni tempus non præfigitur, quia sibi imputet non reddendo mutuum tempore vilioris pretij; Negat, si tempus est præfixum: Lugo à *num. 118.* cum alijs probabilius existimat non posse exigere eandem mensuram, quando probabile est tempore solutionis fore pretij augmentum, licet non sit terminus præfixus, aliàs daretur facilis modus lucrandi ex mutuo, nempe quoties mutuans prævideret mutuarium non soluturum ante annum, mutuatet in mercibus in eadem mensura, & bonitate reddendis, quorum pretium nunc vile est, at postea est majus futurum. Verum sentio cum cit. Molin. & Dicast. *L. 2. tract. 10. Disp. 2. num. 50.* pactum tale non esse injustum, dummodo mutuarius non obligetur non solvere ante tempus aucti pretij, quia tunc non cogitur solvere cum aucto pretio, cum si vellet, posset prius cum minori reddere.

Ad secundum Respondeo cum Lugo *num. 122.* si tempore mutui nihil cogitabatur de augmento, aut decremento rei mutuatae præsumenda est intentio mutuantis de reddenda re simili in substantia, & qualitate, sive pretium rei postea crescat, sive decrescat, quia hoc fert secum natura puri mutui: hoc enim commensurat quantitatem & qualitatem rei ad rem, è contra emptio proportionem pretij ad rem. Si mutuans prævidit augmentum futurum pretij tempore solutionis, regulariter nequit mutuarium obligare ad eandem mensuram reddendam, quia cum hac prævisione non potuit onerare mutuarium (nisi ut præmissum est, servasset in id tempus) paciscendo cum illo, ergo nec potest præsumi, quod intendit, delictum enim non est præsumendum. Si mutuans sciebat pretium fore minus, mutuarius probabiliter satisfacit restituendo æqualem mensuram cum æquali bonitate, quia cum natura mutui potius ferat æqualitatem mensuræ quam valoris, dum mutuans aliud non expressit, præsumitur non hanc, sed illam intendisse.

Nunc transeamus ad mutuata pecuniam (de qua fusissimè citatus Laym. brevius Lugo à *num. 124.*) Wadingus *Disp. 8. dub. 4. n. 3.* asserens quando valor solum extrinsecus monetæ variatur esse refundendam secundum valorem, quem habuit tempore contractus secus solutionis, ut si mille aurei mutuati valerint tria millia florenorum, ac tempore solutionis singuli valent quatuor florenos, seu 4000. mutuarius non tenetur reddere mille, sed 750. è contra si valor decrevit tempore solutionis, ita ut singuli valeant florenos tantum duos, debet restituere

mere 1500. Ratio: quia sic servatur æqualitas damni, & lucri inter debitorem, & creditorem.

Si mutuans paciscatur cum mutuuario de reddenda in eadem specie, & numero moneta, qualecunque sit postea pretium futurum, est pactum licitum, & justum æque utrique favens, Lugo n. 125. præmittens, quod licet mutuum afferat obligationem solvendi in eadem specie, attamen potissima species monetæ non desumatur ex materia, sed ex valore, quo formaliter constituitur in ratione monetæ, ergo solvitur mutuum in eadem specie, solvendo id in moneta ejusdem valoris, etsi non sit ejusdem materiæ, nisi ut dictum hæc etiam sit deducta ad pactum. Verum melius loquitur Layman, num. 12. ex cap. cum Canonicis de censibus & communi Doctorum quando moneta mutata est secundum valorem intrinsecum, & extrinsecum, ut si multum adulterata sit, non satisfacit creditori mutanti probam monetam, nisi solvendo veteres nummos aut novos secundum æstimationem veterum.

270. Quæres septimò quid sint litteræ moratoriarum vulgò ferreæ litteræ seu *Cypene Brieff*? à quo, quibus dandæ, & contra quos?

Respondeo ad primum esse rescriptum dilatorium mandans iudicibus, ne permittant debitorem à creditoribus ad certum tempus in eo præfixum conveniri, quia illud tollatur ullum jus creditoris, aut interesse, aut pœna conventionalis, nec extenditur ad debita post id obtentum contracta, ita Wadingus *dub. 5.*

Respondeo ad secundum eas concedi à solo Principe supponitur in *L. quoties cod. de precibus Imperatori offerendis* (Ju-

dex inferior potest solum concedere dilationem modicam, nempe paucorum mensium Gloss. in *Lege si debitori ff. de judicijs*) & quidem non sine gravi causa, nec ad longum tempus, nempe non excedens, quinquennium, *L. fin. cod. qui bonis cedere possunt*. Accipiens moratorias debet dare idoneam causationem de solvendo post tempus privilegij elapsum, quando creditor illam exigit.

Respondeo ad tertium eas non dandas quibusvis debitoribus, sed solis adverso casu absque dolo, & culpa ad inopiam redactis, unde non sunt concedendæ debitoribus ex delicto, sed luant in pelle, dum non possunt in ære, uti sunt Decoctors rerum suarum, comparantur enim furibus.

Respondeo ad quartum non esse concedendas adversus quosvis creditores: videlicet primò, quando pecunia numerata est deposita, quia hæc sine omni mora, & remotis exceptionibus depositori est restituenda, *L. 1. cod. depositi*. Secundò si debitum sit ex contractu locationis, seu conductionis. Tertio si debitum sit pupillare, alimentorum, opificum, mercenariorum, famulorum, aut Ecclesiasticum (secularis enim potestas non potest præjudicare Ecclesiæ) aut fiscale aut contractum cum externo, & transeunte, aut dotale. Quarto litteræ moratoriarum generales non extenduntur (nisi expressè oppositum sit expressum) ad debita jurata, & privilegiata pupillaria, aut vi-duæ.

Ex his facilè patet æquitati conformes esse resolutiones, quas circa moratorias interrogatus P. Petrus Wadingus dedit, dum maxima Europæ pars bellis ardebat. Primò eas non esse dandas genera-liter,

liter, & contra omnes personas, nempe contra miserabiles, & pijs causas. Secundò cum multi citra culpam premantur egestate, illis esse ad aliquod tempus concedendum privilegium militum *L. miles ff. de re iudicata*, ut scilicet non conveniantur plus quam commodè possunt. Tertiò ut in publica patriæ vastatione, dum non est præsumptio moræ peccaminosæ, Princeps mitiget rigidas executiones per pignorationes, & missiones in bona. Quartò ex quorundam Doctorum iudicio posse Principem supremâ suâ Authoritate condonare debitoribus census annuos, in quibus propter militares ra-

pinas non poterant solvere, aliàs census cum Capitali adeo excreveret, ut non possent solvere, nisi exuerentur omnibus bonis, ipsique creditores debent aliquid illis remittere. Quia ipse Princeps exemplo Tyberij Cæsaris remittat ad tempus pendenda publico ærario. Sextò constituantur Commissarij prudentes, & Docti, qui habitâ ratione debentium, & creditorum natura, & origine debitorum attentâ potentiâ vel impotentia solvendi ita rem componant, ut nec creditores in totum priventur, nec debitores ad summam inopiam redigantur.



ARTICVLVS QVARTVS.

De Dominio bonorum vacantium, inventorum, incertorum commixtorum cum alieno. Item de Venatione, piscatione, pastione & lignatione.

271. **Q**uæres primò quis fiat Dominus bonorum vacantium, seu eorum quæ quis moriens ab intestato, & absque hæredibus reliquit? Item inventorum?

Respondeo ad primum cum Domino careant, secundum jus gentium essent primò occupantis; ad secundum jus commune devolvuntur ad fiscum *L. 1. ff. de jure fisci* (non tamen ante sententiam iudicis tenetur eorum Possessor tradere fisco secundum Amicum *Disp. 16. num. 6.* Nisi fuerint peregrinorum, quia hæc non fi-

sco, sed per loci Episcopum in pijs causis sunt distribuenda, *Auth. omnes peregrini cod. communia de successioneibus.*

Respondeo ad secundum cum S. Thoma hic *q. 66. Art. 5.* & tria assero: Primò res inventas hæctenus sub nullius Dominiò existentes, ut gemmas repertas in littore maris esse primo occupantis, seu corporaliter apprehendentis. Secundò deperditarum rerum inventor, pro earum qualitate obligatur adhibere Majorem, aut Minorem diligentiam, ut resciat Dominum etiam per publicationem ex pulpitis,